in lineæ volubilis *OP* plano *AOP* deſcriptum, *A* veſtigii initium puncto *S* reſpondens, *TC* recta a corpore ad centrum ducta ; *TG* pars ejus vi centripetæ qua corpus urgetur in centrum *C* proportionalis ; *TM* recta ad ſuperficiem curvam perpendicularis; *TI* pars ejus vi preſſionis qua corpus urget ſuperficiem, viciſſimq; urgetur verſus *M* a ſuperficie, proportionalis; *PHTF* recta axi parallela per corpus tranſiens, & *GF*, *IH* rectæ a punctis *G* & *I* in parallelam illam *PHTF* perpendiculariter demiſſæ. Dico jam quod area *AOP*, radio *OP* ab initio motus deſcripta, ſit tempori proportionalis. Nam vis *TG* (per Legum Corol. 2.) reſolvitur in vires *TF*, *FG*; & vis *TI* in vires *TH*, *HI*: Vires autem *TF*, *TH* agendo ſecundum lineam *PF* plano *AOP* perpendicularem mutant ſolummodo motum corporis quatenus huic plano perpendicularem. Ideoq; motus ejus quatenus ſecundum poſitionem plani factus, hoc eſt motus puncti *P*, quo Trajectoriæ veſtigium *AP* in hoc plano deſcribitur, idem eſt ac ſi vires *TF*, *TH* tollerentur, & corpus ſolis viribus *FG*, *HI* agitaretur, hoc eſt idem ac ſi corpus in plano *AOP* vi centripeta ad centrum *O* tendente & ſummam virium *FG* & *HI* æquante, deſcriberet curvam *AP*. Sed vi tali deſcribetur area *AOP* (per Prop. I.) tempori proportionalis. Q. E. D.

Corol. Eodem argumento ſi corpus a viribus agitatum ad centra duo